

§. 18. Et hi quidem rectè. Nam (1) Bona quidem opera homini Christiano atque æternùm salvando maximè necessaria esse, non diffitemur, tum ob magni momenti fines, quos explicant Dnn. Theologi (Vid. ex innumeris *B. Hülfem. Brev. C. XII. Thes. X. p. m. 277. sq. it. Suppl. Tb. VII. p. m. 299. sq. Magnif. Dn. D. Scherz. Brevic. §. CXI. pag. 150. seq.*) tum quia fides sine illis vera esse non potest, sed mortua potiùs, ipsomet Apostolo *Jacobo c. II. 20.* iudice, adeò ut necessariò ad fidem omninò requirantur opera.

§. 19. Facilè etiam (2) concedimus, imò contrarium dogma Pontificiorum, præeuntibus nobis ad ductum S. Scripturæ Dnn. Theologis, detestamur: Bona opera non influere in salutem per modum veræ causæ: quemadmodum nec ipsi adversæ sententiæ Patroni pro vera causa eadem venditare videri volunt.

§. 20. Attamen (3) quia fides, quatenus in salutem atque justificationem per modum sive ad analogiam instrumenti influit, cum operibus nihil planè habet commercii, quæ adeò inter fidem atque salutem haudquaquam consistunt in medio, sed stant potiùs à latere, tanquam fidei signa atque effectus: non minùs huc quadrant, quàm calor solis, respectu illuminandi conclavis, aut risibilitas respectu scriptionis, quæ jam *supra §. 10.* rejecta à nobis fuerunt. Nos enim justificari per fidem, non quæ illa per opera efficacem se prodit, sed quæ meritum Christi apprehendit, quod sanè præstat sine Operum Bonorum qualicunqve ope, quippe quæ eò nihil quicquam conferunt, demonstrant Dnn. Theologi.

§. 21. *Bonorum verò Operum nomine nec nobis quidem veniunt superstitiosa illa, quæ à Pontificiis jactantur opera ac cultus electitii, v. g. peregrinationes, vigiliæ &c. imò nec ea, quæ moraliter saltem aut civiliter bona sunt, qualia non tantùm sunt, quæ ab irrogenitis secundum rationis ductum laudabiliter fiunt, sed etiam regenitorum externa opera civilia: verùm ipsa illa opera interna & externa, quæ fiunt à renatis secundum normam divinæ legis, fide per spiritum S. ad DEI gloriam & ad nostram DEO declarandam tum obedientiam, tum gratitudinem (ex definitione Hutter. *Comp. Theol. L. XIV. Q. 2.*) de quibus in foro Theologico agitur.*

§. 22. *Salus item æterna ac Justificatio, cujus impetrandæ hæc opera debebant dici Conditio seu Causa sine quâ non, nobis hîc eodem loco habentur juxta ductum Dnn. Theologorum, utpote*
qui